



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXXVIII. In quo consistat essentia probabilitatis extrinsecæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

lumina sequamur. Ex proprio enim alicujus causæ effectu legitime inferitur existentia talis causæ, cum omnibus prædicatis ad talem effectum necessario requisitis. Hic modus arguendi est à posteriori & ab effectu, alter autem erat à priori, per quem à naturis rerum magnitudo apparentiæ deducebatur, & ex illius magnitudinis jam nota qualitas iudicii in ea fundati cognoscebatur. In præsentem autem à qualitate iudicii qualitas motivi declaratur.

Magnitudo stimuli, ex ipsius consideratione à peritis dignoscitur.

70. Cæterum magnitudo hujus apparentiæ non solum cognoscitur à iudicio taliter elicto, sed etiam ex ipsa stimuli existentis magnitudine, quam periti & probi in seipsis experiuntur; illi enim sæpe evidenter vident, apparentiam, quam in se sentiunt, esse dignam assensu, quia ex una parte certè sciunt, se nullam passionem animi excæcantes, aut ad unam partem indebitè pellente moveri; ex altera experiuntur, stimulum vehementem, clarèque perspiciunt, se non posse meritò reprehendi, si tali apparentiæ assensum præbeant. Hæc secunda via dignoscendi magnitudinem apparentiæ, seu determinandi apparentiam probabilem, maxime in rebus difficilibus, solis peritis conve-

nit; prima autem etiam imperitis communis est; omnes enim ex communi gravissimorum Auctorum consensu certificantur talem opinionem nisi motivo verè magno, verè probabili; quia certum est, aliquos eorum prout decet peritos & probos sententiam tulisse.

71. Ex his habemus, quid sit motivum esse magnum; grave, solidum, rationabile, prudens, seu probabile; omnia enim ista idem prorsus significant. Itaque illud est motivum verè magnum &c. quod vi suæ magnitudinis plerumque non fallit, etsi hic & nunc à vero aberret; seu quod aptum est ad impetrandum assensum à viro perito & probato, juxta dicta tum hic, tum in *traçt. de Cons. prob. quæst. 2. num. 13.* & alibi sæpe. Unde iterum apparet, Celladeum frustra conqueiri de nobis, quod terminos obscuros non satis declaratos adhibeamus; nullum enim terminum inexploratum relinquimus, sed determinatum ac distinctum sensum singulis tribuimus, ipsam rerum originem, naturam, proprietates, causas & modos res ipsas cognoscendi exponimus. Sed ad alia pergamus.

QUÆSTIO TRIGESIMA-OCTAVA.

In quo consistat essentia probabilitatis extrinsecæ?

Auctoritas loquentis consistit in duplici veracitate.



PROBABILITAS extrinsecæ fundatur in auctoritate dicentis aliquid. Porro omnis auctoritas consistit in duplici loquentis veracitate, quarum altera est veracitas in cognoscendo, altera est & dicitur veracitas in dicendo. Prima consistit in capacitate debite cognoscendi res, per quam aliquis præsumitur non falli circa illas. Secunda consistit in dispositione, quâ persona loquens conformatur dicta conceptui, & mentiendo non fallit. Prima dispositio est perfectio intellectus, Secunda est perfectio voluntatis. Porro, quod dispositiones istæ fuerint perfectiores, eò auctoritas est major. Ideo summa est Dei auctoritas, quia in cognoscendo nequit falli, nec fallere in loquendo. Creaturarum auctoritas eò major est, quò magis ad divinam accesserit.

Cur fides negatur aliquando peritissimis aliquando probissimis?

2. Cæterum si alterutra ex istis dispositionibus desit, deest pariter auctoritas ad fidem rationabilem sufficiens. Sic nemo prudenter credit demoni, licet perspicacissimo, & valde veraci in cognoscendo; quia verax non est, sed mendax in loquendo. Similiter veracissimis in loquendo non credimus, si ignorantes sint aut imperiti; quia etsi non fallant, facillimè tamen falluntur. Itaque utraque veracitas ad completam auctoritatem requiritur, & ideo non nisi hominibus scientiæ & conscientiæ, seu viris peritis & probis, fidem prudenter damus. His positis, quæstio est, quæ & qualis auctoritas sufficiat ad reddendum aliquid extrinsecè probabile. De hac re agit Celladeus *lib. 2. quæst. 18. & 19.* Nos veritate stabilita, erroribusque Celladei detectis, solvemus quod contra benignam sententiam objicit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

Probabilitas extrinsecæ non bene definitur per auctoritatem ferè nunquam aut saltem plerumque non errantem in iis, de quibus alios instruit.

3. **P**ROBATUR Assertio contra Celladeum, qui eadem prorsus ratione definit probabilitatem extrinsecam, quâ intrinsecam definit: nempe per hoc, quòd sicut illa sola ratio est gravis, fide digna, magna, seu probabilis, quæ ferè nunquam fallitur aut fallit; ita illa sola auctoritas est gravis, magna, probabilis, quæ ferè semper verum dicit. Probatur, inquam, eisdem ferè argumentis, quibus similem definitionem probabilitatis intrinsecæ rejicimus, quia eodem prorsus modo demonstrant insufficientiam, ac nullitatem definitionis præsentis. Nominatim autem definitionem hanc ex eodem capite rejicio, ex quo Aristoteles supra *quæst. superiore* rejicit definitionem probabilem, quæ simpliciter dicebat illud esse probabile, quòd plerumque contingit; quia hoc, ut jacet, evidentibus ac necessariis convenit; talia enim plerumque contingunt, cum semper eveniant. Ita pariter in casu nostro, auctoritas infallibilis, certè cognita ut talis, includeretur in hac definitione probabilitatis extrinsecæ, si termini accipiantur ut jacet, quia talis auctoritas non solum plerumque, sed semper non fallit eos, quos docet. Nec sufficit, quòd Celladeus postea limitet verba definitionis, quia limitatio illa

illa exprimi debebat in ipsa definitione. Deinde definitio rejicitur ob particulam illam *sepe semper*, quæ certò certius omni probabilitati extrinsecæ non convenit sicut *quæst. superiori* ostensum est, quod omni probabilitati intrinsecæ non conveniat.

Si explicatio Celladei corrigatur, est vera.

4. Quod si, omisâ particulâ, *sepe nunquam*, terminisque ita declaratis, ut infallibilis auctoritas non includatur, solum in fitas alteri particulæ *plerumque*, descriptio allata admittitur ut vera, non tamen est legitima definitio. Admittitur ut vera, quia convertitur cum definito; nulla enim auctoritas est digna fide, de qua constat quòd in difficultibus ac scientificis plerumque fallatur, aut quòd in obviis plerumque fallat. E contra in incertis omnis auctoritas est digna fide, de qua constat, quòd plerumque nec fallatur nec fallat. Ergò descriptio sic explicata convertitur cum definito. Quod si aliqua auctoritas, erroneè quidem, sed prudenter præsumatur plerumque nec falli nec fallere, illa auctoritas solum apparenter & quoad nos est probabilis, non autem quoad se; quia si cognosceretur qualis est in se, non esset fide digna. Ergò verè à parte rei non est fide digna, nec sufficit, ut constituat motivum extrinsecè probabile.

Unde innotescat, quod auctoritas plerumque nec fallatur, nec fallat?

5. Si verò quæras, unde innotescere debeat, quod auctoritas aliqua plerumque nec fallatur nec fallat; Respondeo hoc non posse nec debere sumi à certa experientia ac diuturna observatione de frequentissima veracitate loquentis. In hoc videor mihi contradicere Celladeo, quia exempla & auctoritates, quas assert ad suam sententiam probandam, ad hunc sensum unicè collimant. Ratio est, quia in incertis scientiarum assertis per nullam experientiam scire possum, utrùm loquens fallatur necne? Imò per experientiam non possum scire quod non fallat in illis, quamvis per experientiam, ex rebus obviis desumptam, scire possim illum in talibus esse veracem, atque inde inferre, quòd in rebus scientificis proponendis non mentiatur.

Innotescit independenter ab experientia de veracitate loquentis.

6. Itaque quamvis per experientiam propriam scire possim, quod fæmina aliqua in rebus obviis sit valdè verax, cui proinde prudentiùs credam, quam viro gravissimo, de quo talem experientiam non habeo, aut in quo falsitatem aliquando detexi; tamen universaliter loquendo, notio & præsumptio veracitatis, etiam circa res obvias ab omnibus evidentè discernibiles, nec potest nec debet ab istiusmodi experientia sumi. Ratio est, quia fides innixa auctoritati probabilis, præcedit experientiam, quâ advertimus aliquem plerumque verum dicere. Alioquin nemini prudenter credere possemus, nisi post diuturnam cohabitationem &c. quo nil absurdius dici potest. Ergò auctoritas probabilis explicari debet independentè à tali experientia. Itaque vel recurrendum est ad experientiam de aliis hominibus, quos plerumque veraces reperimus, & sic per inductionem idem de quibusvis præsumimus, modò nil obstat in contrarium, vel potiùs ad experientiam propriam inclinationis, quâ naturaliter stimulamur ad conformanda dicta menti, quæque tanta est, ut clarè percipiamus necessarium esse, ut & nos, & alii ejusdem naturæ, plerumque illam sequamur. Hæc ratione primitus sollicitari videmur ad existimandum, quod homines plerumque non mentiuntur. Cæterum quia experimur nos ipsos, modò mali incurrendi metu, modò boni acquirendi desiderio stimulari ad mentiendum, idem quoque de aliis judicamus, ideoque illis minùs fidimus in rebus ad eorum interesse spectantibus. Quod si per experientiam diceremus, aliquem in rebus ejusmodi esse etiam veracem, id multùm conducit,

ut illius auctoritas in nostra opinione augeatur.

7. Cæterum, quamvis hæc Celladei explicatio accipiatur in sensu vero superiùs explicato, non est bona definitio, quia non explicat definitum in ordine ad terminum, ex cujus inspectione scire possumus, quòd adfit talis auctoritas, quam tamen certò scire, ac hîc & nunc discernere unicè avemus. Certè nunc potissimè agimus de auctoritate probabilis in rebus scientificis & incertis, & talem de illa definitionem quærimus, ut illà mediante scire possimus, an hæc sit vel non sit talis auctoritas? at hoc est impossibile, si gravis auctoritas solum definitur esse illa, quæ plerumque non errat, quia in nullo casu particulari scire possum, an erret necne, eò quòd semper versetur in incertis. Itaque hæc explicatio, etsi vera, non tamen est bona definitio. Præterea, hoc quod est, hominem in rebus ejusmodi plerumque nec fallere nec falli, non est per se notum, aut experientiâ cognoscibile, sed est quid fundatum in prædicato anteriori ac notiori. Ergò gravis auctoritas definienda non est per consequens minùs notum, sed per primum ac radicale magisque notum prædicatum, quòd quale sit, inferiùs explicabitur.

Explicatio Celladei, etsi vera, non est bona definitio.

8. Interim multa alia falsa adjungit Celladeus, dum assertionem suam probat, quæ corrigenda sunt, quia ad pleniorè præsentis materiæ notionem conducunt. In primis dicit, auctoritatem probabilem, seu fundamentam assensum probabilem, debere esse fallibilem. Hoc falsum est, quia auctoritas infallibilis non fundat assensum certum, nisi infallibiliter applicetur intellectui. Certè, si Angelus de Cælo descendens mecum loqueretur, ille esset infallibilis, non tamen fundaret assensum nisi probabilem, si nil singulare præ se ferret, quo ab hominibus discerni posset. Ergò auctoritas infallibilis fundare potest iudicium probabile, modò fallibiliter applicetur intellectui. Nec dicas, auctoritatem illam esse solum materialiter infallibilem quoad se, Celladeum autem loqui de auctoritate formaliter & quoad nos fallibili, qualis esset illa Angeli in casu proposito, quia solum proponeretur ut magna, non ut infallibilis; nam contra est, quia in primis hoc explicari debebat, quod non est factum. Deinde, etsi sciam auctoritatem, cui credo, esse invincibilem, illa tamen non semper fundat assensum certum, nisi certum etiam sit quod loquatur.

Auctoritas infallibilis fundare potest assensum probabilem.

Primus error Celladei.

9. Secundo dicit, illud plerumque non fallere lumen debere negativè, ut auctoritas, cui credimus, aliquando fallatur, aut fallat in rebus, quas probabiles reddit, alioquin rem certam redderet. Sed contra primò, quia tametsi hoc verum esset, si certò constaret loquentem nec fallere nec falli, tunc enim certa esset veritas, quam proponit; si tamen hoc non certò innotescat, ut evenire potest, assensus tali auctoritati quantumvis infallibili datus, est solum probabilis. Contra secundo, aliquando agimus cum hominibus, qui nunquam mentiuntur. Nihilominus quia certum nobis est, quòd mentiri possint, aut non est certum, quòd non possint aut non velint mentiri, fidem solum probabilem illis damus, ut patet. Hæc duo efficacissimè rejiciunt definitionem probabilitatis extrinsecæ à Celladeo allatam, maximè si sumatur in sensu ab illo explicato, quia auctoritas extrinsecæ complectitur auctoritatem infallibilem, si infallibilitas non certò innotescat. Similiter complectitur auctoritatem fallibilem nunquam fallentem, modò fallibilitas appareat, & non fallentia certò non manifestetur. At definitio Celladei, si sumatur negativè, ut ipse vult eam accipi, naturam comple-

Secundus Celladei error.

Definitio Celladei non æquat definitum.

complectitur. Ergò non est bona, quia non æquat definitum.

10. Tertio, multa repetit, & congerit, quæ sunt de subiecto non supponente; qualia sunt, auctoritatem illam non esse magnam, gravem &c. non fundare assensum probabilem &c. quæ æquæ se habet ad verum & falsum. In hoc alludit ad eos, qui docent utramque contradictionis partem simul esse posse probabilem, quasi ipsi docerent, probabilitatem intrinsecam vel extrinsecam æqualiter se habere ad verum & falsum. Verùm illi nil simile docent, nec quidquam ejusmodi sequitur ex eorum assertis, ut fusè ostensum est. *quæst. 29. & 30.*

ASSERTIO II.

Celladeus incosequenter arguitur.

Celladeus incosequenter procedit, dum definit probabilitatem extrinsecam per auctoritatem ferè nunquam fallentem.

II. **P**ROBATUR Assertio. Celladeus lib. 2. *quæst. 16.* jactat se, rejectis aliorum prætenis probabilibus, veram & realem probabilitatem sincerè definivisse, suamque doctrinam ab antiquis, & nominatim à Philosopho, mutuasse. Hoc si rectè ac verè fecisset, laude dignus fuisset. Et sanè non possum non probare conatum, cum rectam viam elegerit. In rebus enim tanti momenti diligenter insiltendum est communi terminorum acceptioni, à qua non licet recedere. Cum ergò probabilia pro conscientia regula proponantur, profus cavendum est, ne in terminorum intelligentia à communi antiquorum & recentiorum acceptione desleamur. Itaque conatus iste Celladei laudandus est; sed dolendum, quod post multum laborem per plures errores à vero Philosophi & antiquorum sensu deflexerit, ut vidimus quæstione præcedenti; hic autem eundem arguo, quòd in definitione probabilitatis extrinsecæ incosequenter processerit, quia relicta Aristotelis & aliorum omnium definitione, novam ac falsam ex proprio capite subrogavit. Aristoteles 1. *Topic. cap. 1.* exactissimè definit probabile ab extrinseco, dicens: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus: atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis.* Et omnes Philosophi ac Theologi hac in re Philosopho subscribunt. Hanc definitionem latè exposui *quæst. 2. de cons. prob. num. 21. & seqq.* sicut & illam probabilitatis intrinsecæ ibidem à num. 11. exposueram, quia sciebam his in rebus absurdum esse proprii capitis inventiones contra communem Recentiorum & Antiquorum sensum proponere. In rebus enim ejusmodi cum sinceritate potius, quam cum inani jactatione progrediendum esse omnes norunt. At Celladeus, post longam protestationem de necessitate inhærendi antiquis, post assumptum in seonus ita progrediendi, ac demùm post seriam protestationem, quod exactissima probabilitatis extrinsecæ notio sit maximè necessaria, quia maxima hominum pars solà auctoritate regitur, contrario modo procedit, & nullà factà mentione definitionis Aristotelicæ, novam ex proprio capite profert. Quod est operari contra protestationem, & in re maximi momenti valdè incosequenter procedere.

Facit contra protestationem, quam præmiserat.

ASSERTIO III.

Motivum extrinsecè probabile rectè definitur, auctoritas seu veracitas personæ rationalis ita intellectui applicata, ut mereatur fidem, sed non certam.

12. **H**ÆC explicatio manifestè convertitur ipsam; in qua motivum extrinsecè probabile consistit, & per quam facile discerni potest, ut ex dicendis melius patebit. Si enim quæras quænam sit auctoritas digna ejusmodi fide? Respondo, auctoritatem merentem talem fidem esse du, licem. Alia est infallibilis in se, quæ si fallibiliter quidem, sed rationabiliter applicetur, meretur fidem, sed incertam. Alia est fallibilis, quæ pariter meretur fidem incertam, modò non certò sciat nec fallere nec falli, meritò tamen ob peritiam præsumatur non falli, & ob probitatem non fallere. Hæc explicatio complectitur omnem formam, à qua objecta reddi possunt extrinsecè probabilia. Rursus nil complectitur præter formas, à quibus talis denominatio provenit. Ergò explicatio hæc manifestè convertitur cum definito. Secundo, reducit omnem probabilitatem extrinsecam ad peritiam & probitatem loquentis, ad quas omnis auctoritas tanquam ad propria & essentialia prædicata reducit. Tertio, peritia & probitas loquentis sunt res, de quibus sufficientem notitiam satis facile habere possumus ut *quæst. 16. & 17.* ostensum est. Quarto demùm manifestè coincidit cum mente Philosophi. Itaque dubitari non potest, quin allata explicatio motivi extrinsecè probabilis sit legitima definitio.

13. Cæterum, quia auctoritates istæ, seu objecta ista moventia ex se indifferentia sunt, ut hæc vel illà ratione applicentur, & quia prout diversimodè applicantur, diversas fortunatas appellationes certi, probabilis, temerarii &c. ideo ipsa probabilitas motivi extrinseci non consistit in auctoritate, quæ movet, sed in vitali illius applicatione, per quam stimulat ad assensum. Itaque probabilitas extrinseca, non minùs quam intrinseca, consistit in impetu intellectuali, quo scilicet intellectus ad assensum impellitur. Porro hic impetus, seu hæc applicatio aliud non est, quam perspicua quædam notitia de auctoritate loquentis, per quam intellectus videt aut præsumit, personam hic & nunc loquentem esse dignam fide, sed incerta. Porro hæc etiam applicatio in definitione nostra continetur, ut patet. Demùm eadem auctoritas applicata explicatur in ordine ad unicum & proprium effectum motivi probabilis extrinseci, nempe in ordine ad fidem incertam, quæ continet perfectionem & imperfectiorem correspondentem perfectioni & imperfecti contentis in motivo ut applicato. Ex his autem bonitas definitionis iterum stabilitur.

14. Quod si quæras, unde hæc notitia, seu applicatio auctoritatis hujusmodi habeatur & innoscatur? Respondeo, illam simili prorsus ratione innoscere, seu elici, quæ in superiori *quæst.* stimulum intellectualem, in quo probabilitas intrinseca consistit, elici & innoscere diximus. Hinc habetur, tam probabilitatem ut sic, quam utramvis illius speciem in impetu intellectuali consistere, & differentiasque probabilitatis extrinsecæ & intrinsecæ solum materialiter se habere, cum neutra vim majorem contineat, quam quæ in conceptu generico continetur. Per hoc ergò discriminantur, quòd extrinseca moveat proponendo auctoritatem

Autoritatem loquentis; intrinseca verò, proponendo motivum ab auctoritate loquentis distinctum.

ASSERTIO IV.

Proposium sit declarare partes, ex quibus probabile ab extrinseco componitur, & proprium partium singularium munus explicare.

15. **P**ROBABLE extrinsecè dicit rem ab aliqua auctoritate assertam pro materiali, & pro formali auctoritatem assertivè loquentem, qualem proximè exposui. Res, seu subiectum denominationis, propriissimè vocatur probabile, & est tale quodammodò passivè, quia ab alio denominationem recipit. Auctoritas verò applicata etiam ipsa est & dicitur probabilis, sed quodammodò activè potius quam passivè; quia alteri dat denominationem probabilis, & eam ab alio non recipit, alioquin daretur processus in infinitum, ut benè observat Celladeus lib. 2. quaest. 18. §. 1. Cæterùm auctoritas applicata, propriè loquendo non est probabilis activè, sed solum constitutivè, quia non efficit formam, à qua res denominatur probabilis, sed per sui applicationem formaliter constituit illam in ratione probabilis. Nihilominus quia auctoritas ipsa concurrat ad productionem locutionis, per quam aliquo modo applicatur rei assertæ tamquam subiecto, ideo auctoritas aliquo modo activè concurrat ad totum concretum probabile, sicut effectivè concurrat ad producendum hominem, qui solum unionem producit. Ergò auctoritas applicata est forma propriè constitutiva, & aliquo modo effectiva concreti probabile; & hoc est, quòd explicare intendimus, quando dicimus auctoritatem esse probabilem. Sed & auctoritas applicata duo dicit, nempe ipsam auctoritatem loquentem pro materiali, & ejus notitiam seu applicationem vitalem pro forma. Hæc vitalis applicatio est id, quod formalissimè se habet in hoc concreto probabile ab extrinseco. Illa enim est ipsa probabilitas, seu motio & impetus intellectualis, quæ ita denominat alia probabilia, ut ab aliis talem denominationem non accipiat.

16. Hinc habetur, probabilitatem extrinsecam esse, saltem communiter, formam realiter distinctam ab objecto probabili, quia auctoritas loquens & applicata, plerumque realiter distinguitur à re, quam loquitur. Rursus res, quæ dicitur probabilis, non est talis ex sua natura, neque requiritur, ut sit res verè contingens, aut de plerumque contingentibus, cum denominatio probabilis extrinsecè, ejusque definitio ab Aristotele tradita, applicari possit rebus necessariis juxta ac contingentibus. Unde confirmantur omnia, quæ supra tradidimus de probabilitate intrinseca, quia non est cur hæc uni potius, quam alteri probabili generi conveniant. Præterea sequitur, eadem esse menti Aristotelis conformia, quia non est credibile, quod contraria de materia probabili tradiderit, aut ea involverit in definitione probabili ab extrinseco, quæ sub definitione probabilitatis intrinsecæ includi non possunt. Rursus, probabilitas extrinseca supponit & arguit intrinsecam: nemo enim peritus & probus, nisi à suo munere desectat, assensum præbet illi rei sine motivo rationabili ac probabili. Ergò nil, potissimè in rebus obscuris & incertis, esse potest probabile ab extrinseco; quod non etiam sit probabile ab intrinseco. Ergò definitio probabilitatis intrin-

seca extendi debet ad omnia, ad quæ probabilitas extrinseca extenditur. At probabilitas extrinseca extenditur ad omnem omnino materiam incertam, five contingentem five necessariam, ut patet; quia auctoritas loquentis ad hæc omnia extenditur.

Rursus, Aristoteles definit probabile ab extrinseco Topicorum, in quibus tradit regulas ad probabiliter discurrendum in omni materia. Ergò judicavit illud extendi ad omnem materiam, circa quam homines probabiliter discurrunt. At illi probabiliter discurrunt tam de necessariis quam de contingentibus. Ergò Aristoteles omnia hæc ex æquo inclusit in sua definitione. Unde iterum apparet, Celladeum non solum errasse, dum supra quaest. superiore dixit, nil esse propriè probabile, nisi quod est contingens, sed etiam in hoc errore suo & ab Aristotelis mente recessisse, & ad propriam doctrinam in consequenter locutum esse. Contra Aristotelis quidem mentem locutus est, quia vult ea per Aristotelem non esse probabilia intrinsecè, quæ Aristoteles manifestè involvit in definitione probabilis extrinsecæ, quæque proinde, ipso Celladeo fatente, debent esse probabilia intrinsecè. Quod est contradictionem Aristoteli affingere. Inconsequenter verò ad suam doctrinam locutus est, quia definitio, quam ipse probabilitati extrinsecæ assignat, æquè convenit necessariis ac contingentibus. At quæ sunt extrinsecè probabilia, sunt tam propriè talia, quam quæ sunt talia intrinsecè. Ergò necessaria sunt propriè probabilia. Præterea ipse fatetur extrinsecam probabilitatem essentialiter fundari in intrinseca. Ergò tam necessaria quam contingentia esse possunt propriè probabilia intrinsecè, quia sæpè sunt propriè talia extrinsecè. Ergò in duabus istis definitionibus, & inconsequenter locutus est, & sibi contradixit.

ASSERTIO V.

Definitio probabilis extrinsecæ à Celladeo tradita evidenter ostendit, benignam sententiam esse tam extrinsecè quam intrinsecè probabilem, probabilitate vera, reali, ac positiva, etiam juxta mentem Celladei; & per consequens manifestè ostendit, Celladeum in toto suo opere frustra laborasse.

17. **P**ROBATUR. Illa opinio est extrinsecè probabilis probabilitate vera, reali, ac positiva, juxta mentem Celladei, quæ nititur auctoritate plerumque & ferè semper non fallente: sed benigna sententia nititur hujusmodi auctoritate. Ergò benigna sententia est extrinsecè probabilis probabilitate vera, reali, ac positiva, sumendo terminos istos in strictissimo Celladei sensu. Consequentia legitime deducitur: major est certa, quia continet definitionem à Celladeo traditam, quæ quamvis nimis stricta sit, & propterea non sit bona, cum omnem opinionem probabilem non complectatur, ut ostendimus; nihilominus evidentissimum est, omnem opinionem esse ad minimum probabilem; quæ in tanta auctoritate fundatur. Itaque sola difficultas est in minore, quæ tamen clarissima est; quia unanimis consensus omnium peritorum, qui post diurnam ac seriam totius quaestionis per integrum sæculum discussionem, in unam eandemque sententiam conspirant, est auctoritas, quæ ferè nunquam fallit, aut fallitur. Certè nisi hæc auctoritas ad hoc pertingat, nulla ejusmodi datur auctoritas fallibilis, & consequenter quaestio erit de subiecto non supponente. Verùm

Probabilitas extrinseca æquè extenditur ad necessaria ac ad contingentia.

Celladeus errat, & Aristoteli contradicitur.

Celladei contradictio.

Doctrina Celladei demonstrat veritatem sententiae, quam impugnat.

nima

nimis clarum est, talem auctoritatem aut nunquam aut rarissime errare. Imò si loquamur de rebus moralibus, in ordine ad quas per fidem ac doctrinam revelatam, peculiaremque Dei gratiam, iusti & Sancti juvantur, nec alia cuiquam suppetere possint principia, per quæ quæstio determinetur, quàm quæ omnibus sunt communia, haud dubiè dicta auctoritas est tanta, ut nunquam erret, cum moraliter saltem certum sit, omnes omninò peritissimos in tali quæstione errare non posse. Sed benigna sententia est opinio omnium omninò Doctorum Ecclesiæ per plusquam integrum sæculum, qui rem in propriis terminis examinârunt. Et quidem si sermo sit de majori probabilitate directâ, nemo unquam Theologorum Catholicorum negavit licitum esse illam sequi, si unum excipias Celladeum, qui solus hæc in parte contra omnes insurrexit, & sine sufficienti fundamento omnes damnavit. Quod si sermo sit de pari aut minori probabilitate directâ, omnes omninò, præter unum Comitolum non summi nominis virum, per integrum sæculum, post quæstionem rigidè ac diligentissimè examinatam, expressè docuerunt, usum illius esse licitum. Et quidem Comitulus, sicut & alii pauculi, qui posterioribus hisce annis eum sequuti sunt, manifestè æquivocârunt in sensu quæstionis, quia putaverunt nos docere aliud ad formandam conscientiam non requiri, quàm probabilitatem minorem, cum tamen expressè doceamus minorem illam probabilitatem directam, agnitam ut talem, non sufficere, nisi ex vi novæ consultationis per rationes reflexas, honestas operationis evadat probabilior ejusdem inhonestate. Et sanè veritas eorum, quæ hæc dicta sunt de auctoritate nobis favente, adeo certa est, ut adversarii ipsi non audent id negare. Celladeus quidem in superioribus conatus est rem in dubium revocare, sed merum fucum fecit, & in omnibus ad hoc spectantibus patenter erravit, ut ostensum est. Ergò auctoritas, cui benigna sententia nititur, tanta ad minimum est, ut ferè nunquam fallat, aut fallatur; imò si presè loquamur, tanta est, quæ nunquam aut fallatur aut fallat; cum reddat veritatem, quam tradit, profus inexpugnabilem.

Qui benignam sententiam impugnarunt, decepti fuerunt in intelligendo sensu quæstionis.

18. Dices. Plures moderni impugnarunt antiquam opinionem, quæ proinde non est amplius communis omnium: ergò non amplius fulcitur auctoritate prætensâ.

Respondeo in primis, nonnullos impugnasse benignam sententiam quoad usum opinionum directè non probabiliorum: verum omnes, quos vidi, hallucinati sunt in statu quæstionis intelligendo, & ex illa hallucinatione decepti attulerunt argumenta nullius roboris; quippe quæ benignam sententiam non premunt, cum omnes pro conscientia regula re ipsa requiramus majorem probabilitatem, si omnia inspiciantur. Itaque ex pauculorum istorum deceptione nil auctoritatis demptum est à benigna sententia. Quod autem ad majorem probabilitatem directam attinet, omnes, præter unum Celladeum, docent eam sufficere. Nec Celladeus argumenta ullius momenti, contra illam attulit, ut vidimus. Præterea periti, qui Celladum legunt, non ideo à pristina sententia recedunt, sed potius in ea confirmantur, quia miras in eo æquivocationes ac sophismata detegunt, nec quidquam solidi contra benignam sententiam inveniunt. Proinde compatiuntur viro, quod bonas horas in opere tam inutili collocavit, quas in opus longè præstantius impendere potuisset. Itaque nil detractum est à summa auctoritate benignæ sententia per hoc, quod Celladeus ab illa desierit.

19. Respondeo secundò. Auctoritatem, cui benigna sententia nititur, esse ex se ipsa intrinsecè & essentialiter, qualem proposuimus, quia omnes omninò, inter quos fuere innumeri sapientia ac probitate clarissimi, per integrum sæculum post diligentissimam quæstionis discussionem, illi in terminis subscriperunt. Fuit ergò toto illo tempore unanimes omnium Doctorum opinio. At auctoritas, cui talis opinio in re tali tamdiu nititur, talis est, qualem descripsimus, quia evidens est, quod talis auctoritas aut nunquam aut rarissimè fallatur aut fallat. Imò fundamentum hujus concordia est evidens necessitas, ut talis opinio semper prævaleat, licet aliqui postea decipiantur, & ab ea desistant; alioquin si post tantam auctoritatem semel habitam illa deficere posset, nil ex auctoritate firmum ac stabile esset. Omnes olim consenserunt motum dari; sed Zeno, cum aliis nonnullis, ob argumenta, quæ non poterant solvere, hoc negarunt. Omnes ante Janenium docuerunt ignorantiam invincibilem excusare à toto, sed Janenius aliique eum secuti contrarium tradiderunt. Nec tamen ideo unanimes priorum consensus quidquam detrimenti in magnitudine suæ auctoritatis passus est, quia ille ex sua intrinseca natura est invariabiliter talis, & idem est illam semel existere, ac invariabiliter talem esse. At hoc idem locum habet in præsentis quæstione, cum eadem de illa ac de aliis sit ratio. Ergò auctoritas benignæ sententia est immutabiliter tantæ magnitudinis, quantum proposuimus. Nec decem Celladei in contrarium de novo surgentes quidquam de illa possunt detrachere. Vide dicta *quæst. 15.* quia omnia mirificè confirmant, quæ hoc loco dicta sunt, & pariter à dictis hoc loco confirmantur.

20. Respondeo tertio. Pauculos quosdam nuper à communi sententia de licito opinionis directè minus probabilis usu recessisse: sed ex quo hoc factum est, longè plures, doctrinam ac probitatem illis non inferiores, post eorum argumenta perpensa, antiquæ ac communissimæ sententia ut incomparabiliter prævalenti subscriperunt. Et quidem si de opinione probabiliori sit sermo, omnes præter Celladeum dicunt illam esse sufficientem conscientia regulam. Præterea argumenta Celladei, sedulo examinata, reperitur esse levia, & non nisi æquivocationibus gravia. Unde si tota auctoritas benignæ sententia, quoad usum opinionis directè minus probabilis, & vel maxime quoad usum opinionis probabilioris, favens, debitè inspicatur, & comparetur cum auctoritate contraria, evidens est illam tantam esse, ut plerumque immò ferè semper verum dicant; rarissimum enim est, quod unus & alter verum dicant, quando omnes alii, probissimi juxta ac peritissimi, unanimes consensu illis contradicunt. Hic est casus noster. Ergò non ebstante solius Celladei auctoritate de illicito opinionis probabilioris usu, & paucorum ex æquivocatione deceptorum de insufficientia opinionis directè minus probabilis, auctoritas benignæ sententia favens est tanta, ut plerumque ac ferè semper verum dicat, maxime in rebus moralibus, de quibus est sermo. Et hoc ad intentum præfens abundè sufficit.

21. Quod si non rigorosissima Celladei, sed moderatè ac verissimè Aristotelis de definitioni stemus evidens est benignam sententiam, in sensu strictissimo acceptam, esse verè probabilem extrinsecè, quia procedit de eo, quod plerisque, immò ferè omnibus sapientibus, illis quæ maxime notis ac famosissimis, verum apparet. E contra, sententia rigida, accipiendo terminos Philosophi ut jacent, non est extrinsecè probabilis, quia evidens est, quod

quod nec omnibus, aut plerisque hominibus, nec omnibus, aut plerisque, aut maximè notis sapientibus videatur vera.

Benigna
faciendā
interfēc
quam ex
interfēc
est
probabili
tate vera,
positiva, ac
reali.

22. Hæc evidenter evincunt, sententiam benignam habere omnia, quæ Celladeus ad veram, realem, ac positivam probabilitatem extrinsecam requirit; ex quo tam ex principiis ipsius, quàm ex rei veritate sequitur, illam habere etiam quæ ad probabilitatem intrinsecam postulat. Inprimis hoc sequitur ex ipsius principiis; quia ille expressè fatetur probabilitatem extrinsecam semper fundari in intrinseca, & in illam resolvi. At benigna sententia ad evidentiam est probabilis extrinsecè juxta definitionem Celladei. Ergò est etiam probabilis intrinsecè juxta mentem ipsius. Deinde ex rei veritate id ipsum sequitur, quia impossibile est, quin ex tot tamque præclaris Auctoribus, qui quaestionem hanc sedulo & à fundamentis examinârunt, plures eorum non aliter quàm pios ac peritos decet sententiam protulerint. Sed hoc modo non protulissent suam sententiam, nisi ad eam moti fuissent ratione, quæ vi magnitudinis suæ plerumque connectitur cum veritate. Ergò habuerunt talem rationem. Ergò benigna sententia nititur ratione seu motivo probabili, seu plerumque non fallente. Ergò est intrinsecè probabilis. Rursus impossibile est omnes omnino Auctores, qui successivè per plura sæcula quaestionem diligentissimè examinârunt, in unam convenire sententiam, quin moti fuerint ratione validissimâ ac probabilissimâ, atque ita prævalente, ut omnes convicerit, atque ad eadem veritati subscribendum quodammodo compulerit. Ratio autem, quæ usque adeo prævalet in intellectu generis humani, ad minimum vi suæ magnitudinis postulat, ut ferè semper verum dicat, nisi enim hujusmodi ratio id postulet, utique nulla erit, præter absolutè infallibilem, quæ hoc prædicato gaudeat. Ergò benigna sententia, utpote cui omnes omnis ætatis Doctores subscriperunt, fundatur in ratione aut semper aut ferè semper non fallente. Ergò est probabilis probabilitate intrinsecâ, verâ, reali, ac positivâ.

Argumentum
concludit
in favorem
benignæ
sententia
quomodo
cumque
sumatur.

23. Argumentum certissimè concludit, si benigna sententia sumatur, prout asserit usum opinionis directè probabilioris esse licitum, quia nemo ex omnibus, præter unum Celladeum, refragatur. Ipse autem exigui momenti rationes pro suo recessu honestando attulit, ut patet ex dictis, & ex dicendis magis patebit. Itaque certum est, benignam sententiam sic acceptam, dicta probabilitate stabiliri. Quod si restringatur ad usum opinionis directè minùs probabilis, argumentum pariter concludit intentum, quamvis pauculi aliqui nuper reclamârunt, quia ipse excessus multitudinis ac gravitatis Auctorum nobis faventium evidenter arguit, illos habere rationes non solum plerumque prævalentes (quod ex mente Aristotelis & omnium, præter Celladeum, ad veram probabilitatem sufficit) sed etiam rarissimè fallentes. Cæterum hoc maximè verum apparet in casu præsentis, cum pauci illi in sensu quaestionis intelligendo æquivocârunt, & in fictum tantum adversarium impugnarunt; cum nos, si omnia inspiciantur, dicamus majorem probabilitatem ad conscientiam debite formandam esse necessariam, in quo illis consentimus; & si illi rectè intellexissent, quomodo hoc eveniat, à nobis in nullo discrepassent.

Celladeus
frustra laborasse
probat.

24. Ex dictis sequitur, Celladeum in toto suo opere frustra laborasse, quia totus in eo est ut probet benignam sententiam non esse probabilem probabilitate conscientia, seu probabilitate, quam appellat veram realem, ac positivam, quam definit esse rationem vel auctoritatem rarè errantem. At admittens hac definitione (quæ præcul dubio nil includit, quod non sit verè, realiter, & positivè probabile, quamvis non omnia verè & realiter probabilia involvat) evidenter sequitur, benignam sententiam habere probabilitatem ejusdem
R. P. A. Tertii Regula Morum. PARS I.

modi. Ergò frustra laboravit, quia media adhibuit, ex quibus oppositum finis ab ipso intenti necessariò consequitur. At hoc est summum genus frustrationis in quovis opere, si ad finem ab operante sibi præfixum respiciamus. Quòd si finem adversæ partis intueamur, Celladeus non frustra, sed utiliter illis laboravit; quia effecit, ut veritas benignæ sententia clariùs innotesceret, non solum quia dedit ansam detegendi fallacias argumentorum contra ipsam allatorum, sed vel maximè, quia ex ipsis adversariorum illam impugnantium principiis ejusdem veritas efficacissimè comprobatur.

25. Dices. Celladeus hoc saltem evicit, scilicet opinioniones communiter habitas probabiles non esse verè tales, ideoque ad conscientiam regulandam non sufficere; quia impossibile est, ut utraque pars contradictionis nitatur ratione & auctoritate rarè aut nunquam fallente. Ergò non frustra laboravit, quia hoc ipsum est magnum operæ pretium.

Respondeo inprimis, consequentiam, admissio antecedente, non sequi; quia solum inferitur, tales opinioniones ex vi rationum directè probantium non sufficere pro regulanda conscientia, quod verum est, sive sint verè, sive solum apparenter probabiles, modo intellectus neutram partem præferat, sed finali judicio censeat, eas esse æquè probabiles. Tunc enim ad rationes reflexas recurendum est, quibus adhibitis, utriusque partis honestas evadit probabilissima probabilitate verâ, reali, ac positivâ. Ergò jam ex vi istarum licitum cuique erit quam maluerat opinionem sequi. At aliud nec contendimus, nec intendimus. Hoc autem est, quod Celladeus conatur evertere. Ergò frustra laboravit, quia licet evicisset antecedens, illa victoria non esset operæ pretium, cum ad finem præfixum non conducatur, nec in ullo obstat fini ac intento benignæ sententia.

26. Deinde respondeo, duas opinioniones contradictorias æquè probabiles niti posse ratione ac auctoritate plerumque non fallente, non quidem ex parte hujus determinati objecti materialis, quia hoc ad probabilitatem non requiritur, ut ostensum est; sed ex vi magnitudinis apparentia, quam talium sententiarum Auctores sequuntur. Ratio est clara, quia singula opinioniones nituntur motivo apto ad impetrandum assensum à viro perito & probo, sicut talem virum decet judicante; cum constet, quod talem assensum de facto impetret. At tale motivum frequentius verum dicit, quàm errat. Rursus plerumque verum est, quòd tres vel quatuor viri præstantes post omnia in utramque partem ritè perpensa absolutè judicant esse verum, dummodo non temerè, sed maturè, & ut decet viros prudentes sententiam dicant. Si enim omnia à talibus dicta ratione decisa in unum cumulentur, multò plura erunt vera quàm falsa, nec quisquam de hoc rationabiliter dubitare potest, quia alioquin natura malè instituisset intellectum humanum, ut patet, & supra sæpè dictum est. At utraque pars contradictionis sæpè nititur rationibus & auctoritatibus ejusmodi. Ergò utraque pars contradictionis sæpè est probabilis probabilitate verâ, reali, ac positivâ; idque verum est non solum juxta utramque definitionem probabilis à Philosopho allatam, sed etiam juxta definitionem Celladei.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO,

& benigna sententia stabilitur ex doctrina de testibus.

27. OBJECTIO primò, ex data probabilitatis definitione sequitur, nemini licitum esse sequi opinionem æquè aut minùs probabilem de honestate opera-

R. plica.

Solutio 1.

Solutio 2.

Objectio 1.

F f

operationis, quia nemo in tali casu habet motivum sufficiens ad probabiliter seu prudenter judicandum, quod res sit licita; ad hoc enim motiva suadentia honestatem deberent prævalere motivis suadentibus inhonestatem talis rei, quia id solum est probabile, vel prudens, quod nititur ratione vel auctoritate plerumque non fallente. At hoc non intervenit, ubi pars minus tuta est solum æquæ aut minus probabilis parte tutiore. Ergo in tali casu nemo potest prudenter formare conscientiam de honestate partis minus tutæ. Ergo nec licite eam sequi.

28. Confirmatur hæc doctrina ex titulis de Testibus, de Præsumptionibus, & Exceptionibus, in quibus sacri Canonnes multipliciter declarant, judicem pro neutra parte debere judicare, quando testes opposita deponentes sunt ejusdem honestatis & æstimationis, ac etiam numero pares; & multò minus judicare posse pro parte, cui, cæteris paribus, pauciores testes suffragantur. Ratio autem est, quia in tali casu non est præsumptio sufficiens ad prudenter seu probabiliter judicandum, quòd veritas determinatè reperitur in tali parte. At eadem est ratio de Auctoribus sibi contradicentibus, ac de testibus contraria deponentibus, quia sicut testes deponunt de facto, ita Auctores decernunt de jure, seu de bono & malo. Ergo non magis credendum est Auctoribus, quàm testibus. At certum est ex juribus, & omnibus lumine naturæ notum, quòd testes pares contra pares nil probent, quia tunc ex vi testium nulla habetur præsumptio de veritate. Similiter ex eisdem constat, quòd pauci contra multos, cæteris paribus, multò minus valeant, quia jam est præsumptio de falso, eò quòd dictum unius, nisi sit valde præminens, sit dictum nullius contra plures, quia non solum non facit rem prudenter credibilem, sed ne quidem reddat illam dubiam. Ergo idem dicendum de Auctoribus. Ita Cellæus lib. 2. quæst. 19. per totam, ex quo infert primò, eos perperam & contra lumen rationis discurrere, qui dicunt licitum esse sequi Doctores pares contra pares, aut pauciores contra plures, & quod plus est, unum contra multos, quia ratio dicat, nil plus posse hujusmodi Doctores in ordine ad iudicium fori interioris, quàm testes in ordine ad iudicium fori exterioris. Deinde infert secundo, nec testes, nec Doctores quidquam probare, si de illis non constet, quod ferè semper vera dicant.

29. Respondeo in primis, nemini licere sequi partem minus tutam, quam finali iudicio reputat esse æquæ aut minus probabilem, si ad formandam conscientiam aliis argumentis non utatur quàm directè probantibus. Ratio autem istius rei non inde petitur, ut contendit objectio, quòd desit motivum sufficiens ad prudenter judicandum, rem esse licitam; hoc enim falsum est; neque enim ad hoc requiritur, ut fundamentum unius partis absolutè prævaleat fundamento partis alterius, ut fuse probatum est in superioribus; quia etsi in actu primo neutrum prævaleat, fieri poterit ex imperio voluntatis, ut intellectus alteri assentiat tanquam vero, & tunc motivum illud in actu secundo prævalebit. Cæterum in hoc etiam casu, iudicium tale niteretur ratione vel auctoritate plerumque non fallente, quia utraque pars contradictionis simul niti potest tali ratione ac auctoritate, ut ostensum est. Ratio ergo est, quia in tali casu mens hæret dubia, & bona fides non formatur, ut sæpius explicatum est. Ergo tunc homo peccat, si partem minus tutam sectetur; quia quod non est ex fide, peccatum est. Quod si homo ex imperio voluntatis credat, partem minus tutam esse absolutè veram, & sic in actu secundo approbet motivum minus aut æquale, illudque exercitè præferat motivo verè majori; vel certè, stante finali iudicio de motivorum directè proban-

tium paritate, ex vi rationum reflexarum rationaliter formet conscientiam de honestate operis in circumstantiis, sic non peccat sic opinando, quia sequitur rationale dictamen conscientie ut sæpe ostensum est in superioribus.

30. Ad confirmationem à paritate Testium ac Doctorum desumptam, duo repono. Primum est, paritatem in nullo obstare benignæ sententiæ, sed illam validissimè confirmare. Alterum est latam esse disparitatem inter Auctores & Testes, ideoque argumentum ab his ad alios non valere.

In primis à paritate Testium ad Doctores translata, ad summum sequitur, neminem licitè sequi sententiam Doctorum, quamdiu pars, quam sequitur, alteri parti apud ipsum non prævalet; quia in hoc casu non habetur determinata præsumptio veritatis pro parte, quam sequitur; sed necessariò operatur vel contra conscientiam, vel certè in dubio, quorum utrumque est illicitum. At hoc ipsum est, quod ego cum multis benignæ sententiæ Auctoribus expressè trado. Afferimus enim eum peccare, qui sequitur partem minus tutam, quam absolutè credit esse æquæ aut minus probabilem, si in aliud non respiciat, quàm in æqualitatem aut minoritatem motivorum aut auctoritatum directè probantium. Stante enim tali dispositione, operans juxta nostram opinionem, necessariò agit vel contra conscientiam, vel in dubio, ut multis in locis ostensum est, tum in hoc, tum in tract. de Confess. prob. Et sanè, qui aliter hac in re discurreret, & diceret licere quidem sequi pares Doctores contra pares, aut pauciores contra plures, vel unum contra multos, etiam quando cætera sunt paria, & intellectus alià vià, quàm per ista iudicia non procederet, id verò nequaquam licere in simili casu Testium, hic inconsequenter discurreret, quia clarum est, quod, stante tali dispositione, non plus possunt Doctores in ordine ad forum interius, quàm Testes in ordine ad iudicium fori exterioris. Ergo ex hac paritate nil sequitur contra nostram sententiam, quia aliud non sequitur, quàm quòd ipsi independenter ab hac paritate expressè tradimus esse verum.

31. Deinde dico, paritatem hanc validissimè probare veritatem benignæ sententiæ. Ratio est, quia quæst. 2. cap. Si testes, item cap. in nostra de testibus & testimonibus, aliisque in locis expressè traditur, quod testes contraria deponentes, fidem sibi non derogent, sed prævaleant digniores, & verisimiliora deponentes; si in cæteris sit paritas, plures præferuntur paucioribus. Cæterum unius vel duorum dignissimorum ac omni profus exceptione majorum testimonium prævalet testimonio multorum ex plebe collectorum. Hæc & alia hujusmodi similia traduntur de Testibus, & sufficiunt, ut veritas rei illorum testimonio confirmatè sufficenter probetur, atque ut iudex in rebus momenti juxta illorum testimonium sententiam ferat; quia in istiusmodi casibus veritas ex prævalentia testium prudenter præsumitur, eò quòd testes prævalentes plerumque non fallant. Ergo idem dicendum est de Auctoribus, qui sunt testes juris, sicut alii sunt Testes facti. Ergo quoties numerus aut qualitas Auctorum libertati faventium excedit auctoritatem aliorum contradicentium, toties conscientia licitè deponitur in illorum attestazione; imò si sententia feratur, debet juxta illam pronunciari in favorem libertatis contra legem præsentam. Ergo etiam quoties, omnibus inspectis, ratio & auctoritas prævalet pro una parte, toties conscientia rectè formatur, & homo per principia synderefis reflexa tam certus est se non peccare faciendo talem rem, quamvis fortasse contra suam opinionem decipiatur, quàm iudex ferens sententiam juxta depositionem prævalentium testium. At iudex per principia reflexa est certissimus se non peccare ferendo

In casu testium æqualium neutra pars judicari debet in foro exteriori.

Solvitur argumentum

ferendo sententiam juxta depositum Testium praeva-
lentium, quamvis fortasse decipiat per illos. Ergo
par honestas, & par certitudo est in opinione, quae
auctoritatibus & rationibus inspectis invenitur praeva-
lere. At hoc est totum quod nos aut intendimus,
aut docemus. Ergo totum intentum benignae sententiae
efficaciter probatur ex Doctrina de Testibus,
de Praesumptionibus, de Exceptionibus, aliisque ejus-
modi.

32. Hinc enim inferitur, primò, usum opinionis
directè probabilioris esse licitum, quia juxta illam
conscientia rationabiliter formatur. Itaque quoties
pro aliqua opinione plures ac praestantiores Auctores
& rationes potiores inveniuntur, quam pro contraria,
licitum erit in illa acquiescere, atque juxta illam con-
scientiam formare, atque ita ad operandum progredi,
idque praecise propter auctoritates & rationes directè
praevalescentes; quia haec omnia in materia facti eviden-
ter licent in simili casu testium. Et sanè hoc verum est,
etsi rationes validae, & Auctores plurimi stent pro
contraria sententia, quia id etiam valet in testibus.
Quod si usus opinionis probabilioris sumatur prout
substat rationibus & auctoritatibus reflexis, jam om-
nes omnino Auctores, praeter unum Celladeum,
conveniunt usum illius esse licitum. Ergo sicut in
testibus, ita in Auctoribus dictum unius Celladei con-
tra omnes est dictum nullius, maxime cum Celladeus
non praemineat aliis omnibus, & cum multis particu-
laribus aequari non possit; nec rationes afferat tam
rationabiles quam alii. Et hoc est illud ipsum in ter-
minis, quod Celladeus fatetur esse verum in testi-
bus; unde ex propriis principiis doctrina ipsius ever-
titur, cum juxta illam singularis illius auctoritas opi-
nionem rigidam non reddat prudenter credibilem;
nec sufficit ut opposita in minimum dubium revoce-
tur.

Inferitur secundò, idem prorsus dicendum esse de
unius aut duorum valde praestantium contra plures mi-
nus praestantes; directè enim licebit sequi opinionem
paucorum illorum contra sententiam plurium, quia
Auctoritas illorum paucorum praevalet multitudini.
Quod si reflexè progrediamur, nullum de licito talis
opinionis usu esse potest dubium, cum in eo omnes
convenient.

33. Demùm si loquamur de opinione directè mi-
nus vel aequè probabili, atque quaeramus, quid in istis
novis circumstantiis liceat, habemus plus quam qua-
draginta Auctores pro nobis contra unum pro parte
contraria. Et quidem qualitas Auctorum nobis fa-
ventium, in nullo cedit, sed in omnibus longè praeminet
qualitati adversariorum. Nemo nobis adversantium
hactenus tam celebris doctrinae famà claret, sicut Sua-
rez, Medina, Vasquez, Aversa, Joannes à S. Tho-
ma, aliique complures, qui universam Theologiam,
omniaque principia moralia egregiè calluerunt, atque
rem à fundamentis examinârunt. Praeterea ex adver-
sariis omnes fermè decepti sunt in intelligendo sensu
opinionis, quam impugnârunt, ideoque reipsâ nobis
non contrariantur, quia nos uno ore docemus nemini
licitum esse sequi ullam opinionem, nisi antea proba-
bilis ipsi fuerit, quod usus illius sit licitus. Itaque
auctoritas benignae sententiae favens, est tanta, ut jux-
ta jura de testibus, de praesumptionibus &c. immò
juxta evidens lumen rationis, auctoritas contraria sit
prorsus exigua, & nullius fundamenti. Ergo licitum
est acquiescere benignae sententiae, & juxta illam in to-
ta sua latitudine acceptam operari, quique sic opera-
tur, non minus certus est se non peccare, quam sit
ille, qui in simili casu testium contraria deponentium
sequitur depositum testium manifestè praevaleantium,
quia quoad hoc eadem de utrisque est ratio.

34. Jam quando benigna sententia docet, licitum
B. P. A. Terilli Regula Morum. PARS I.

esse sequi pares contra pares, aut pauciores contra
plures Doctores aequales, hoc non docet propter pa-
rem illam aut minorem auctoritatem; quia nulla sola
inspiciatur, & invenitur omnino par, aut minor, tra-
dit neminem licitè posse sequi talem auctoritatem.
Itaque solum hoc docet ob alias auctoritates reflexas va-
lentem, multum praevalescentes. At hoc non est contra, sed jux-
ta rationem, sicut apparet in simili casu de testibus.
Ecce doctrina de testibus evidenter confirmat verita-
tem benignae sententiae, ac proinde Celladeus causam
suam male egit, dum ad doctrinam de testibus provo-
cavit.

35. Rursus ex doctrina de testibus apertè sequitur, Testes pro-
bant, quam-
vis de illis
dici ne-
queat, quod
ferè nun-
quam facti
sum depo-
nant.
Celladeum in eo etiam errasse, quòd dixerit, nec te-
stes, nec Auctores quidquam probare, nisi ferè sem-
per vera dicant. Inprimis nimis certum est testes saepe
corrupti, & falsa instrumenta non raro supponi in
judicio. Nec ad hoc opus est longâ probatione, quia
quotidiana experientia id docet. Sed & Alexander III.
cap. quia verisimile, de praesumptionibus, expressè tradit
hoc ipsum: dicit enim, saepe contingit, quod testes facile
corrupti inducantur ad falsum testimonium proferendum.
Et tamen testes corrupti, quando non constat de cor-
ruptione, probant in judicio. Ergo ut testes vel Au-
ctores probent, non requiritur ut ferè semper verum
dicant, sed sufficit, si plerumque non fallant. Et sanè
cum minus sit plerumque verum dicere, quam ferè
nunquam errare; utique aliquod genus probationis
abiis habetur, qui plerumque non fallunt, etsi de illis
dici nequeat, quod ferè nunquam errent. Verùm Cel-
ladeus hisce expressionibus insistere voluit, ut falsam
& Aristoteli falsò impositam definitionem probabili-
tatis, superiùs à nobis rejectam, redderet credibilem.
Sed ipse sibi perniciem affert, quia eligit argumenta ut
sibi faventia, ex quibus falsitatis redarguitur, ut patet
in casu testium. Nullum enim testimonium sufficit,
nisi reddat assertum probabile. At testimonium duo-
rum vel trium testium, si nemo contradicat, aut sex
contra quatuor aequales contradicentes, sufficit ad ju-
diciam ferendam. Ergo reddit assertum probabile,
non tamen est tale ut ferè nunquam decipiat. Ergo
ad motiolum probabile non requiritur, ut ferè nun-
quam decipiat, sed sufficit, si plerumque verum dicat.

36. Hactenus supposui, paritatem Doctorum ac
testium esse prorsus similem, quia id sumebatur pro
antecedenti; & ostendi, hoc admissò, nil inferri con-
tra benignam sententiam, sed illam ex hoc ipso vali-
dissime confirmari: nunc autem dico, latam esse dis-
paritatem inter Doctores ac testes. Ratio est per-
spicua. Testes deponentes de facto, vel certi sunt se
verum dicere, vel certi sunt se mentiri, quia sunt testes
de visu. Hinc evidenter sequitur, quod quando duo
testes contraria deponunt, alter sit nequam, & nul-
lam habeat rationem dicendi illud quod deponit, cum
habeat apertam scientiam de opposito. Hinc quamdiu
nescitur, quae pars sit verax, quae fallax, nec praesum-
ptio ulla uni potius quam alteri parti faveat, nemo po-
test prudenter credere ulli parti determinatae, quia
versatur in aequali periculo judicandi, sine ratione, ac
in spe judicandi cum ratione. Cum enim non nitatur
nisi auctoritate & scientiâ testium, & certò constet
alterum non habere indicium de eo quod dicit, uti-
que sine omni ratione judicaret, si assentiretur parti
mendaci. At diversa est ratio de Auctoribus diversa
opinantibus. Illi enim versantur in rebus incertis, &
singuli validas & valde suasibiles rationes afferunt pro
sua sententia. Unde semper datur evidens praesum-
ptio, quod utraque pars sincerè procedat, & non al-
ter loquatur, quam sentiat. Atque hinc est, quod
utraque pars reddat suum dictum probabile, quia
quod ab uno assertum, non elidit motivum alterius,
sed cogit utramque partem fateri, partem quoque
adver-

Ufus opi-
nionis dire-
ctè probabi-
lioris pro-
batur licitus
ex doctrina
de testibus.

Exceptio
Celladei cõ-
tra nos ex
propria i-
psum doctri-
na ostendi-
tur esse nul-
la.

Doctrina
de testibus
convincit o-
sum minus
probabilitatis
esset licitum.

Argumenta
Celladei i-
psum erro-
ris arguunt.

Disparitas
inter Au-
ctores & te-
stes.

adversam rationabili fundamento esse subnixam. Ergo quisque potest prudenter eligere quamcumque partem voluerit, illique assensum præbere; nec ideo reprehendi potest ut temerarius, quia certus est, quod non sine rationabili fundamento assensum præbeat. At in casu testium, neutra pars est probabilis quoad nos; quia alterutra caret omni ratione, & consequenter utraque non potest esse probabilis. Ergo cum non constet pro qua ratio stet, neutra quoad nos evadere potest probabilis. Ergo dispar est ratio Auctorum & testium; cum major detur præsumptio veritatis pro quavis determinata parte à Doctoribus, quam à testibus asserta.

Celladeus immeritò carpit Theologum quemdam.

37. Atque hinc sequitur, Celladeum immeritò carpere Theologum quemdam, qui paritatem testium & Auctorum à Celladeo objectam ut malè fundatam ex eo rejecerat, quòd si S. Thomas & Scotus sibi contradicerent, & supponerentur æquales, tanta esset apparentia veritatis pro utraque parte, quanta haud dubiè & ad prudenter opinandum, & ad tutò operandum sufficeret. Nil autem proportionale invenitur, quando duo viles testes sibi contradicunt. In hoc dictum vehementer insurgit Celladeus, putatque se hoc uno verbo gloriosum ab illo Theologo triumphum reportasse. *Quid enim dices, inquit, non si duo viles, sed si duo præclarissimi sanctæ Ecclesiæ Cardinales tanquam testes de visa contraria atque repugnantiâ deponerent?* Mox respondendo quæ ipsi, non quæ illi Theologo, ni fallor, occurrerant; lamentatur, senil apud illum, utpote nolentem quidquam contra tot suas probabilitates audire, profecisse. Verum, ô quàm longè à victoria, quàm longè à valido ictu, immò quàm longè à verisimili argumento est hæc objectio! puduisset me, Celladee, de rebus adèd compertis quæstionem movere, nisi gloriosa hæc tua, & exprobranti similis oratio, ad innocentem ac justum defendendum excitasset. Si ad instantiam illam tuam responsum expectasses, non desuisset Theologo illi, quo te in ipso loco convicisset, nisi tu nimio impetu abreptus, veritatis percipiendæ minùs idoneus tunc fuisses. Dixisset enim, te in ipsa tua suppositione contraria involvere, tibi que ipsi, non illi litent movere. Supponis amplissimos, præclarissimosque, ac omni prorsus exceptione majores S. R. Ecclesiæ Cardinales (debuisses autem vel honoris, vel reverentiæ, vel etiam debiti titulo à tali in tantis viris comparatione abstinere) tanquam juratos testes de visa contraria apud judicem deponere. Nónne vides hæc inter se non cohære? Fierine potest ut tales viri contraria deponant? Ubi legit tale quid aliquando contigisse? Profecit si viri tales possent tam facilè, quàm homines vulgares, contraria deponere, major illorum, quàm horum in judicio ratio non haberetur. Habetur autem longè major illorum ratio, ut patet. Ergo longè difficilius est, illos quàm istos sibi in judicio contradicere.

Moraliter impossibile est, ut gravissimi Testes contraria deponant.

38. Quid dico difficilius? Est penitus impossibile, nisi suppositio destruat. Si duo tales jurati testes contraria deponerent, eo ipso præclarissimi esse cessarent. Alter enim solemniter nebulo evaderet. Ergo eo ipso non haberes præclarissimum par testium, sed testium par haberes, cujus alter esset sceleratus nebulo. Unde nullus illorum postea, nisi constaret ex qua parte veritas stetit, absque exceptione in judicio admitti posset. Semper enim esset timor rationabilis, ne sicut fortè antea fecit, nunc etiam mentiretur. At auctores sibi contradicentes nil dignitatis amittunt, sed ambo possunt esse eximii, ac fide digni. Immò ab ipsis adversariis tanquam docti ac rationabiliter procedentes laudantur. Contraria omnia in testibus inventies. Ergo dispar est conditio Doctorum ac testium in ordine ad fidem promerendam. Præterea fundamenta Doctorum sibi contradicentium talia sunt, ut videamus pe-

ritos illa examinentes in opinando dividi, & hos unum illos aliam partem probare. At in casu testium æqualium & contradicentium hæcenus visum non est, prudentes judices contraria judicasse. Ergo dispar est ratio Auctorum & testium.

39. Et sanè à te peto, Celladee, an licitum cuique non sit sequi opinionem S. Thomæ, quando illius opinio ac ratio ipsi magis probatur, quàm opinio tutior S. Bonaventuræ, qui post visa fundamenta Sancti Thomæ in contrariam abivit sententiam? Si hoc neges, teneris dicere consultationes ac resolutiones Theologorum gravissimorum ad nil infervire, cum nemini liceat illis stare, tamen absolute judicet illas esse veras, ac aliis præferendas. Præterea S. Thomam ipsum, omnesque ejus affectas, qui præter Thomistas sunt innumeri, contrarios habebis. Si concedas, idem procul dubio in simili casu dicendum erit de S. Bonaventura contra S. Thomam. Ergo idem de quibusvis aliis gravissimis auctoribus sibi contradicentibus dicendum erit. Ergo cuique licebit sequi quamcumque opinionem certò probabilem, quam ipse veram reputat. Ergo qui veram reputat benignam sententiam, tutò illam sequitur. Sed quid dico? ponamus S. Thomam & S. Bonaventuram sibi directè contradicentes, in hoc tamen reflexè convenire, quod cuique integrum sit utriuslibet sententiam sequi pro libito. In hoc casu directè unius opinio obfata non potest quòd minùs objectum contrariæ opinionis in praxi sit licitum. At hic est casus noster, quia non unus vel duo, sed innumeri viri gravissimi, qui in opinionibus directè sibi contradicunt, non solum fatentur, sed difertè probant, licitum cuique esse quamcumque ex contrariis illis sententiis in praxim reducere. Hæc autem est benigna sententia, quæ proinde procul dubio gaudet verâ, reali, ac positivâ probabilitate, & est sufficiens regula ritè formandi conscientiam.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

40. **O**BJICIT secundò. Opiniones communissimæ omnium ætatum, omniumque (scholarum, præferendæ sunt opinionibus unius vel paucorum, modò cætera sint paria, quia difficilius est plures falli quàm pauciores. At, si cætera non sint paria, fieri poterit, ut opinio unius vel paucorum sit præferenda. Ratio est, quia aliquando contingit, opinionibus communibus in probationibus deficere, & tunc opinio singularis meliùs fundata est eligenda. Cæterum ut opinio singularis communi præferatur, necesse est, ut singularis illa opinio positivè ostendat fallentiam opinionis communis, quòd fiet clarè probando excessum in fundamentis & eorum qualitate; quia opponens contra ea, quæ plerumque contingunt, tenetur positivè probare, quòd exceptio locum habeat, alioquin contrarium præsumitur. Ita Celladeus lib. 2. quæst. 20. §. 2. Unde sic argui potest contra benignam sententiam. Esto, illa communissima fuerit; jam plures contra illam exceperunt, atque exceptionem suam probaverunt. Ergo non amplius standum est illi sententiæ, sed singularis Celladei & paucorum opinio præferenda est.

41. Respondeo, doctrinam hanc de opinionum electione ultrò admitti, saltem tanquam consilium. Cæteram aliud est loqui de opinionum electione in ordine ad opinandum, aliud in ordine ad operandum. Si sermo sit de electione opinionis in ordine ad opinandum & conscientiam formandam, illa præferenda est, quæ post debitum examen invenitur esse rationabilior, aut probabilior. Ratio est, quia suum cuique opinatum probabilis est, ideoque docemus, neminem opinari aut conscientiam formare nisi de re, quæ ipsi finaliter probabilior apparet. Hoc ab Auctoribus

ribus benignæ sententiæ exactissimè servatur; illi enim inter opiniones directas de rerum honestate non opinantur nisi de probabilioribus. Idem faciunt quando reflexè arguant, semper enim probabiliori inhaerent. Id in quo multi æquivocant est, quòd dicamus, opinionem directam æquè aut minus probabilem eligi posse ad operandum juxta illam. Unde inferunt, nos non sequi regulam propositam de electione opinionum. Verum errant certissimè. Error autem in eo fundatur, quòd non distinguant inter electionem opinionum ad operandum, & electionem opinionum ad opinandum. Tunc opinio eligitur ad operandum, quando intellectus ex imperio voluntatis flexitur ad assentiendum illi opinioni, eamque suam facit. In hoc sensu semper eligitur probabilior. Tunc verò opinio præcisè eligitur ad operandum, quando intellectus non præbet illi assensum, sed considerat objectum ut substantiam motivis talis qualitatæ, & ex rationibus reflexis prævalentibus judicat, objectum illud in tali circumstantia esse licitum. Hoc modo fatemur opinionem directè æquè probabilem eligi posse in ordine ad operandum, si signatè consideretur ut objectum. Verum in hoc ipso casu opinio reflexa versans circa hoc objectum, quæ sola propriè eligitur ut opinio seu ad opinandum, est melius fundata quàm opposita persuasio, & sic semper eligitur opinio probabilior, quia semper solùm probabilior eligitur in ordine ad opinandum. Quod si quisquam miretur dum hæc legit, desinet mirari, si adverterit omnes omnino, & ipsum Celladeum, eodem modo loqui de dubio sine ratione concepto, quando sine ratione deponitur; tunc enim dubium in ratione objecti eligitur tanquam sufficiens ad fundandum actum reflexum, quo ratiōnabiliter credimus, licitum esse operari contra tale dubium. Idem profus valet in casu nostro.

Quid sit opinionem eligi ad operandum? quid ad opinandum?

Singularis opinio, an & quando preferenda sit communi?

Celladeus ex propria doctrina audiedus non est.

Quis dicitur sit Auctor?

42. Porro fateor, singularem sententiam aliquando prævalere contra communem, & tunc singularem meritò præferri in ordine ad operandum. Verum in aliquibus casibus impossibile est, ut singularis opinio unquam prævaleat, ut probatum est *quest. 15.* & talis est præfens quaestio, ut ibidem ostensum est. Interim singularis sententia non est præferenda communi, nisi argumenta pro illa allata, omnibus inspectis, ratiōnabiliter cognoscantur rationibus ac auctoritatibus contrariis prævalere. His positus, fateor, Celladeum contra unanimitatem omnium ætatum omniumque scholarum opinionem de licito opinionis probabilioris usu excepisse. Exceperunt nonnulli pauci contra usum opinionis directè non probabilioris. Ergò ex mente ipsius Celladei, nec ipse, nec alii audiendi sunt, nisi clarè probent excessum in fundamentis, & eorum qualitate. At certè, nec ille nec ipsi hoc fecerunt. Non illi, tum quia hallucinati sunt in statu quaestionis, tum quia argumentis longè inferioribus & exigui profus valoris usi sunt, ut demonstravi in *in toto tract. de Consc. prob.* Non ipse, quia pro miris argumentis miras æquivocationes ac rerum confusiones attulit, ut vidimus, & videbimus. Non ergò clarè, immò nec probabiliter exceptionem suam probavit. Ergò ex propriis regulis audiendus non est. Immo nos, qui, post omnia considerata, claritatem aut prævalentiam hanc non reperimus, sed è contrario omnia benignæ sententiæ favere conspicimus, ex ipsa mente Celladei tuti sumus, quia sequimur auctoritatem ferè semper veracem, contra quam post diligens examen nullam congruam exceptionem reperire potuimus.

43. Objicit tertio, Nos aliud ubique non obtrudimus, quàm benignam sententiam esse omnium omnino præter paucos; & solum Celladeum tenere, quòd non liceat sequi opinionem, ne quidem probabilior. At si omnia considerentur, pauci sunt Auctores benignæ sententiæ subscribentes. Quamvis enim pluri-
rimi libri circumferantur, in quibus illa extat; pluri-
mi tamen ex iis, qui tales libros ediderunt, non sunt
Auctores, sed citatores historici, aut puri collecto-
res, seu compilatores, vel certè puri commentatores
qui omnes non sunt Auctores, nec tales vocantur.
Auctor enim, ex S. Bonaventura in *prolog. sent. quest. 4.*
est ille solus, qui aut sola sua, aut aliena & sua, sed sua
tanquam principalia, aliena tanquam annexa scribit.
Ergò alios illos inter Auctores nominare, ut sententiam
communem esse judices, est ultrò velle errare;
Itaque non tot Auctores, quot jactamus, stant pro
benigna sententia. Ita Celladeus *lib. 2. quest. 20. §. 2.*
ubi dicit; se sæpè in superioribus ostendisse, opinio-
nem, dicentem usum cujusque opinionis probabilis
esse licitum, esse sententiam repugnantem Auctoribus qui-
busque gravibus, singulis, & omnibus.

Auctoritas benignæ sententiæ certè est, qualem nos illam esse dicimus.

Respondeo, hæc omnia ad aliud non servire, quàm ut virorum de republica literaria benè meritorem auctoritatem elevent, & contra apertam veritatem imperito Lectori fucum faciant. Peto enim à Celladeo, an pauci admodum fuerint Auctores in Ecclesia, qui ab anno 1540. usque ad annum 1640. Theologica & moralia scripserint? Si dicat eos esse paucos, apertè fallitur. Fuerunt enim numero plurimi, ac doctrinà præstantissimi. Omnes autem quotquot fuerunt, præter unum Comitolum, expressè ac in terminis docuerunt, usum opinionis etiam minus probabilis esse licitum. Comitolum autem in sensu quaestionis intelligendo æquivocavit, quia ideo solùm contendit usum opinionis tantùm probabilioris esse licitum, quia non advertebat quomodò objectum directè minus probabile, reflexè evaderet probabilior. Rursus pauci alii Comitolum à 30. circiter annis imitati sunt; sed eodem profus modo, ex mala quaestionis intelligentia æquivocationem passi sunt. Cæteri omnes in omnibus benignæ sententiæ subscripserunt. Rursus antiqui omnes idem reipsà censuerunt, & quoad opinionem probabilioris id ipsum in terminis expressis aut æquivalentibus tradiderunt, ut fusè demonstravi *quest. 22. de Consc. prob.* Itaque quod dicimus de maxima benignæ sententiæ auctoritate, non obtruditur, sed verissimè demonstratur. Quòd autem ad Celladeum attinet, provoco eum, ut vel unum Auctorem Catholicum afferat, qui in terminis doceat, quod sine exceptione non liceat sequi opinionem, ne quidem probabilior, in sensu quo ipse loquitur. Si talem ostenderit, fatebor me falsò illum singularitatis accusasse. Si nulum talem invenerit, sed omnes contrarium sentientes repererit, non gravatè feret si singularis audiat.

Celladeus confidenter iurat ut verum, quod est evidenter falsum.

44. Cæterum mirandum sanè est, Celladeum adeo confidenter asserere, quòd sæpius ostenderit, usum partis minus aut æquè probabilis improbari ab omnibus ac singulis Auctoribus gravibus. Mirum, inquam, quia certum est, omnes ferè Auctores, quos citat, docere in terminis, quòd liceat sequi opinionem minus probabilem, & alienam contra propriam. Citat quidem verba Vasquez, sed evidenter ea detorquet à sensu Auctoris, ut ex professo ostensum est *quest. 16.*

Auctor, alius talis strictè loquendo, alius communitè.

Commen-
tatores &
Collegores
non fuerunt
minùs docti
quàm Au-
ctores.

capacissimi, qui proinde multùm ad veritatis confir-
mationem suo calculo addiderunt; nam illa ratio haud
dubiè solida est, quæ à tot viris capacibus ita probata
fuit, ut nemo illorum viderit, unde reprehendi possit.
Multi etiam ex illis fuerunt summi Theologi, qui sua
æquo jure vulgare potuissent, ac qui habentur præ-
stantissimi; nec alia compilârunt, quàm quæ ipsi suo
studio ac industriâ noverant esse vera, vel saltem opo-
positis probabiliora; quamvis ea omnia apud alios
priùs dicta invenerint. His autem par fides habenda
est ac præstantissimis. Itaque licet concedam, plures
compilatores prioris Classis non tantæ auctoritatis
esse, quantæ sunt Auctores primarii; nihilominus
non fuerunt minùs docti multis, qui Auctores habentur,
eò quòd sua principaliter vulgaverint. Ergò eor-
um Auctoritas non est minor quàm multorum Au-
ctorum. Itaque qui tales pro Auctoribus numerant,
non ultrò errant, ut præ tendit Cellædeus, sed aucto-
ritatem magni faciendam afferunt, quam Cellædeus
absque sufficienti causa nimis elevat, ut sic ostendat,
suam opinionem non repugnare tot Auctoribus,
quot contra illam citamus. Verùm nos nomine Au-
ctorum non utimur in stricta illa significatione, sed in
communi ac latiori, omnesque illos vocamus Aucto-
res, qui libros de re morali ediderunt, & sciuntur
fuisse magno ingenio, ac pari sedulitate præditi, ac
proinde non minùs fide digni, quàm si, ut potuissent,
propria vulgassent. Itaque opinio à multis illorum
tradita verè est communis, quamvis non negem pau-
ciores ex præstantioribus Auctoribus requiri, ut suam
sententiam reddat simpliciter communem. Interim
quotquot scripserunt, si pauculos à paucis annis exci-
pias, benignam sententiam tradiderunt.

Objectio 4. 46. Objicit quartò. In opinionibus, sicut & in
omnibus æquè probabilibus, nullus invenitur gradus
auctoritatis probantis, aut credibilitatis; quia quævis
ex illis opinionibus tantùm habet exceptionis quan-
tùm ponderis, & conclusio manet neutra & incerta,
ut accidit in casu testium. Ergò illæ opiniones non
sunt regula conscientie, quia non sunt probabiles
probabilitate vera ac reali, sed solum probabilitate se-
cundùm quid, seu probabilitate secundùm dici, qua-
tenus permittuntur, & absque censura defenduntur &c.
Ita Cellædeus loco citato. Unde videtur sequi, quòd
probabilitas opinionibus tribui solita non sit vera pro-
babilitas, sed solum probabilitas improprie dicta, & ex
consuetudine ita vocari solita. Ergò Cellædeus bene
distinguit inter istas probabilitates.

Omnes opi-
niones com-
munes sunt
certò pro-
babiles.

Respondeo, omnes opiniones communes esse cer-
tò probabiles probabilitate reali ac verâ, eâ scilicet,
quam ex Aristotele aliisque omnibus duplici defini-
tione explicavimus, neque enim aliam probabilita-
tem novimus. Inprimis definitio probabilitatis ex-
trinsecè evidenter illis convenit; & ex illa legitime
infertur, quòd sint etiam probabiles intrinsecè. Rur-
sus definitio etiam probabilitatis intrinsecè illas com-
plectitur, quia singulæ tantâ veri apparentiâ proban-
tur, ut illa vi suæ magnitudinis frequentius conne-
ctatur cum veritate quàm cum falsitate, ut hæc & su-
periori quæst. ostensum est. Deinde falsissimum est,
quòd non sit major gradus probationis in istis, quàm
in casu paritatis testium sibi contradicentium; quia in
his est tantùm pondus, ut intellectus ex imperio vo-
luntatis rationabiliter flecti possit in assensum alter-
utrius, quod certè locum non habet in testibus. Quod
si conclusio maneat neutra, id est per accidens; quia
intellectus in nullius partis assensum flectitur, sed ab-
solutè judicat utramque partem esse æqualem. Nec
obstat, quòd utraque pars tantùm habeat exceptionis
ab altera parte, quantum habet ponderis in se; hoc
enim non obstante, una pars non elidit alteram, sed
utraque vi suâ actu stimulat intellectum ad assensum;

probabilitas autem in tali tantùm stimulo consistit, ut
dictum est. Porrò hinc solum sequitur, talem opinio-
nem, quamdiu intellectus reputat utramque partem
esse æquè probabilem, non esse regulam conscientie
in ordine ad opinandum juxta illam: hoc ultrò fate-
mur; sed hoc non obstante, est sufficiens regula ad
operandum, modò sumatur per modum objecti, at-
que intellectus vi rationum reflexarum judicet, obje-
ctum illud ut substans talibus circumstantiis & tali
apparentiæ esse licitum. Hoc est, quod à benigna
sententia traditur. Ergò Cellædeus non impugnat be-
nignam sententiam in sensu proprio ab Auctoribus
ejus intento, sed solum in sensu à se conficito. Interim
certum est, probabilitatem opinionibus tribui soli-
tam esse veram ac realem probabilitatem, qualem Ari-
stoteles definiit, & omnes post eum habent pro ve-
ra probabilitate. Ac proinde certum etiam est, Cel-
ladeum sine fundamento & contra apertam veritatem
induxisse inauditas quasdam probabilitatis distinc-
tiones, quas in superioribus refutavimus, ac nullas esse
ostendimus.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

& agitur de probabilitatis variatione.

47. OBJICIT quintò. Probabilitas vera & rea-
lis est invariabilis, atque eadem respectu
omnium Doctorem in omni loco & tempore; quia
si sumatur aliquod objectum cum omnibus circum-
stantiis loci temporis &c. & illud ita acceptum sit ve-
rè probabile, impossibile est, ut evadat improbabile,
nisi objectum mutetur. Ergo, manente objecto, pro-
babilitas manet semper & ubique. At omnia contra-
rio modo se habent respectu probabilitatis quoad nos,
seu probabilitatis opinionibus tribui solitæ; illa enim
variabilis est: quæ enim in una universitate ac familia
est probabilior, in alia vix audita est; & sibi inducatur,
vix toleratur, aut videtur probabilis, quæ alibi pro-
babilior habebatur. Quin eadem in diversis ejusdem
urbis domibus contrarietas invenitur; immò quæ opi-
nio probabilior est in uno, in alio ejusdem domus cu-
biculo minùs probabilis habetur. Ergò probabilitas
opinionibus dari solita non est probabilitas conscien-
tiæ regulandæ idonea, ut ex versatili ejus natura satis
apparet. Ita Cellædeus lib. 2. quæst. 20. §. 2. qui simili-
lia indicaverat antea lib. 1. quæst. 1. §. 4. ut ostenderet,
ne majorem quidem probabilitatem, aut etiam cer-
tum existimatum, sufficere pro conscientie regula, quia
omnia hæc miræ variabilitati subjacent, cui regulæ à
Deo stabilitæ non subjacent. De ratione enim regulæ
est, ut sit nota, stabilis, & constans.

Respondeo primò. Doctrinam hujus objectionis,
in sensu Cellædei intellectam, evertere totum inten-
tum, quod ipse in editione hujus sui libri habuit.
Quid enim? nonne liber de Recta Doctrina morum in-
scriptus est? Quid aliud intendit Auctor, quàm de-
tortam morum regulam ad rectitudinem reducere?
Ergò intendit doctrinam tam objectivam quàm for-
malem tradere, quam homines pro regula accipere
possint ac debeant. At hoc sine, ex ipsa tua doctrina,
frustraris, Cellæde. Doctrina hæc tua non est semper
& ubique eadem, in omni tempore & loco non ean-
dem approbationem aut probabilitatem obtinet. Quæ
enim in tuo cubiculo probabilissima, immò certa &
evidens tibi visa est, eadem ab aliis ejusdem domus
ut falsa & merito rejicienda est habita. Doctrina tua
hæc ad loca remota advecta, post feriam examinatio-
nem, non solum displicet, sed in omni apice ad inten-
tum principale pressius pertinente invenitur falsa,
distorta, miris æquivocationibus & frequentibus con-
tradictio-

traditionibus referta. Ergo excidisti sine tuo, atque ipse tibi contrariaris, dum unâ manu destruis quod alterâ ædificas.

Replica solvitur.

48. Nec dicas, te veram, ac proinde invariabilem doctrinam tradidisse, ideoque regulam legitimam proposuisse. Nam contra est, quia omnes, qui in suis cubiculis sententias cudunt, aut stabiliunt, idem dicunt de sua, quod tu de tua opinione dicis. Ergo non est cur potius tua quam illorum doctrina sit regula. Nec major est variatio inter opiniones illorum inter se & te, quam inter tuam & aliorum. Cur ergo rejicis illorum opiniones ut insufficientes, tuam autem ut sufficientem Conscientiæ regulam proponis, cum tua eisdem saltem, imò multo pluribus exceptionibus subjaceat?

Alia replica solvitur.

49. At, inquis. Si doctrina mea diligenter ponderetur, invenietur vera, ac proinde habebit probabilitatem invariabilem. Ergo tunc erit regula, & quidem invariabilis. Sed contra. Nónne omnes idem de suis opinionibus dicunt? cur igitur plus tibi quam illis credemus? sed experiendum est, inquis, quis verum, quis falsum dicat, & tunc, quod rationabilius invenietur, præferendum. Itane verò? Ergo jam iterum doctrinam tuam destruis, nam propria cujusque opinio erit Conscientiæ regula. At illa mirè varia est, & dissimilis in omni loco & tempore. Ergo ponis regulam maxime variabilem, quam propter variabilitatem rejicis. Ergo tibi non constas, sed in fundamentali doctrina de regula tibi contradicis. Demum quid fiet, si doctrina tua invenietur, sicut verè invenitur esse falsa? Eritne adhuc regula? Replicabis, nî fallor, non est falsa, sed vera. At nos illam legimus, & post diligens examen eam falsam esse comperimus. Ergo non est apta regula, utpote quæ, te etiam lib. 1. quæst. 1. §. 4. expressè fatente, debet esse certa & omnibus nota, ac communis.

Celladei traditio.

50. Respondeo secundò, Celladeum ex alio capite sibi contradicere: nam duas ponit probabilitates, aliam intrinsecam, aliam extrinsecam. Utraque est vera, realis, ac positiva, ideoque est regula. Præterea extrinseca infert ac supponit intrinsecam, ut implemet expressè fatetur. At extrinseca est variabilis, est objectum, & circumstantiæ loci & temporis &c. non variantur; nam communis opinio, quamdiu nemo contra illam excipit, est probabilis extrinsecè, quia tales opiniones nituntur auctoritate raris fallente. Idem valet de testibus; quatuor enim consentientes plerumque verum dicunt, & reddunt assertum suum probabile. Nihilominus si totidem contra illos excipiant, priorum auctoritas non est amplius fide digna, nec manet probabilis. Idem dicendum ex mente Celladei: si unus aut alter novis prævalentibusque rationibus excipiat contra communem sententiam, eo ipso enim communis sententia perdit suam probabilitatem realem extrinsecam, saltem perdit probabilitatem extrinsecam quoad nos, per quam antea regulabamur. Ecce probabilitas extrinseca tam vera ac realis, quam quoad nos, quæ est apta conscientiæ regula, subjacet alterationi. Ergo etiam intrinseca probabilitas vera ac realis alterationi subest, quia extrinseca fundatur in intrinseca, ac proinde alterari non potest, nisi etiam intrinseca varietur. Ergo Celladeus cohærenter non discurrit, sed revera sibi contradicit. Præterea quidquid responderit, id ipsum applicari poterit in favorem probabilitatis, quam impugnat, ut ex dicendis mox constabit.

Probabilis est magis variabilis, quam objectum probabile.

51. Respondeo tertio directè, & dico probabilitatem veram ac realem realiter distingui ab objecto probabili, quia probabilitas consistit in actibus intellectus, qui realiter distinguuntur ab objectis probabilibus, ut patet. Hinc sequitur, probabilitatem non esse tam invariabilem, quam est objectum, quia actus nostri multis de causis variari possunt, licet ob-

jectum maneat invariata. Cæterum, ut omnes videant veritatem eorum, quæ dico, consideretur hoc objectum. Omnes matres hujus pagi diligunt suos filios. Hoc objectum est probabile, ejus tamen probabilitas variabilis est, etsi nil in objectis ipsis varietur. Probatur hoc, quia probabilitas consistit in apprehensione vehementer stimulante ad assensum: at ista apprehensio non fundatur in sola frequentiore connexionione matrum cum amore filiorum; quia stante generali illa necessitate connexionis frequentioris, potest esse improbable, & evidenter falsum, quod omnes matres istius pagi diligant suos filios. Porro, quod matres frequentius ament, quam non ament suos filios, non est propositio probabilis, sed certa & evidens. Quid ergo est quod probabile reddit hoc objectum? Omnes matres hujus pagi diligunt suos filios; aut hoc, hæc mater diligit suum filium? Dicam. Ad probabilitatem duo requiruntur: Primum, est ratio positiva, & hæc in casu præsentis est evidens cognitio, quod matres plerumque ament suos filios. Alterum est negativum, scilicet quod nil certi, aut nulla prævalens exceptio feratur in contrarium. Stante hac negatione exceptionis in contrarium, ratio dictans matres plerumque diligere suos filios vehementius movet intellectum ad existimandum, quod hæc mater diligit filium suum, quam si detur exceptio, ut patet. Porro hæc duo necessariò ingrediuntur constitutionem apparentiæ probabilis, ut fusè ostendi quæst. 3. de Consc. prob. n. 7. & seqq. ad quod si Celladeus advertisset, nunquam deflexisset ad paradoxa & falsa, quæ de probabilitate ejusque natura attulit. Porro quod utrumque hoc sit prorsus essentialiale apparentiæ probabilis, ex eo evidens est, quod, quolibet illorum præcisè ablato, apparentiæ probabilis tollatur.

52. Hoc posito, peto, utrum Celladeus admittere velit, negationem exceptionis valide in contrarium se tenere ex parte objecti moventis, vel solum ex parte actus, quatenus actus representans hanc matrem, præcisè ut substantem universali necessitati quod matres plerumque diligant filios, fortius stimulet ad assentiendum quod illa suos diligit, quando nil quam quando aliquid representatur in contrarium? Ego juxta utramque suppositionem explicui essentiam apparentiæ probabilis loco citato. Si negatio illa se teneat ex parte objecti, ita ut apparentiæ probabilis objectiva partialiter in illa fundetur, tunc verum est, quod probabilitas vera & realis sit una eademque respectu omnium in omni loco & tempore, quia impossibile est, ut objectum probabile evadat improbable, nisi aliqua circumstantia objectiva varietur. Impossibile enim est, tale objectum unâ cum carentia exceptionis in contrarium tali claritate representari intellectui, quin illa apparentiæ sit fide digna ac probabilis. Verum quia pars hujus objecti variari potest, & carentia exceptionis per exceptionem ipsam formaliter tolli, ideo probabilitas variabilis est, & quod uni est probabile, alteri est improbable. Quod si negatio exceptionis non se teneat ex parte objecti, sed potius quodammodo ex parte actus, quatenus actus, illa præsentis, fortius movet, falsum est quod vera ac realis probabilitas objecti ejusdem sit invariabilis respectu omnium, quodque nisi objectum ipsum mutetur, semper maneat probabile; quia nulla variatione facta in objecto, si negatio exceptionis in contrarium accedat, objectum erit probabile; si recedat, evadat improbable. Itaque haud dubiè probabile non eam invariabilitatem habet, quam ipsum verum, quia stante veritate objecti, illud modò representari potest sine exceptione, & modò cum exceptione, & consequenter modò potest esse probabile, modò certum, modò uni erit probabile, alteri improbable, aut etiam evidenter falsum.

Negatio exceptionis in contrarium spectat ad essentiam probabilitatis.

Causa ob quam probabilitas mutatur.

53. Totum hoc clarissime cernitur in probabilitate extrinseca, ut in casu testium &c. Quoties enim vir gravis aliquid affirmat, id illico evadit probabile extrinsecè, modò nemo contra ejus auctoritatem excipiat. At si paulò post alius excipiat in contrarium, & tanquam testis de visu affirmet oppositum, prior probabilitas tollitur; quæ iterum redit, si plures viri graves deinde juramento confirmet dicta prioris, & secundum mendacii condemnent. Ecce probabilitas extrinseca consistit partim in auctoritate loquentis, partim in carentia exceptionis contra illa, quæ dicit; & consequenter probabilitas illa pro hujus exceptionis varietate mutatur. Idem prorsus valet de probabilitate intrinseca. Ratio enim eadem erit probabilis, quamdiu post diligens examen nil momenti apparet in contrarium. Constabit autem probabilitas illa, ubi valida exceptio apparuerit. Hæc omnia fusè explicata sunt *quæst. 2. & 3. de Consc. prob.* Sed Celladeus hæc omnia confudit, quia sicut ab initio non advertit, remotionem exceptionis in contrarium spectare ad essentiam probabilitatis, ita cum semper in eadem suppositione processerit, mirum non est, quod in probabilitate, ejusque natura intelligenda ac explicanda multa falsa, impossibilia, ac contradictoria miscuerit.

Probabilitas in rebus factis sæpè, in rebus juris rarò mutatur.

54. Neque tamen in probabilitate opinionum de jure, ea invenitur variabilitas, quam Celladeus fingit. Rarò enim periti discrepant de opinionum probabilitate, licèt de veritate illarum mirum in modum discrepent. Rursus rarò fit, ut opinio communis aut certò probabilis evadat improbabilis, ut certissimà experienciã constat; quod verum est de probabilitate opinionibus tribui solita, (sic enim loqui licet cum Celladeo) quæ tamen absque dubio est vera, realis, ac sincera probabilitas. Ratio est, quia opinioniones illæ sunt de rebus universalibus ac necessariis, sed obscuris; in talibus autem postquam periti ea diligenter examinãrunt, difficilè ac rarum est invenire exceptionem tam validam, quæ probabilitatem partis contrariæ elidat. At in rebus facti probabilitas est valdè variabilis, quia in illis facilis exceptioni locus invenitur, vel ex propria inspectione, aut personæ prius asserentis retractatione, vel alterius asseritione &c. Unde etiam in istis regula conscientie sæpè & facilè variatur, quia prior regula sufficiens tollitur, & loco illius alia contraria succedit. Nec hoc est contra

rationem regulæ variabili hominis conditioni deservientis, ut patet. Nam ratio regulæ formaliter sumptæ non alteretur; quoties enim tale quid existit, habetur regula; sed quia res, ex quibus regula constat, facile deficient, ideo regula illa, materialiter sumpta, facilè variatur.

55. Demùm quæ Celladeus dicit de probabilitate opinionum, ejusque variabilitate pro locorum ac educationum varietate, fundatur in æquivocatione, quia procedunt de probabilitate ac probabilitate consequente iudicium uni parti alligatum. Illa enim tam variabilis est, quàm hominum iudicia, quia sum unicuique opinatum probabilis est. At si loquamur de apparentia probabiliori prorsus antecedente omnem assensum, & affectum uni parti indèbitè affixum, illa non adeo discernibilis est, sicut ipsa probabilitas. Unde mirum non est, quod Auctores de illa rarò loquantur. Cæterum quando facilè discernitur, non est adeo variabilis, sed omnibus fermè apparet eadem. Interim tamen quæcumque variabilitas invenitur, sive in apparentia antecedente, sive consequente iudicium & affectum uni parti impensum, illa, quanta quanta est, ex eisdem capitibus procedit, nempe ex accessu & recessu exceptionis in contrarium. Unde cum non sit absurdum, sed prorsus necessarium, quod exceptiones istæ veniant; pariter non est absurdum, quod probabilitas in illis essentialiter consistens varietur. Jam haud dubiè talis probabilitas, quamdiu manet, tam apta est conscientie regulandæ, quàm alia quævis perpetua: nec talis variabilitas ex defectu materię repugnat rationi regulæ, sed prorsus necessaria est pro homine variabili, qui semper innumeris rerum & circumstantiarum diversarum affectionibus vivit obnoxius. Sufficit enim pro tali agente libero regulando, si ratio regulæ formaliter sumpta sit una eademque & prorsus invariabilis, licèt hæc numero regula sit variabilis, ut patet etiam in regulis materialibus. At hæc formalis invariabilitas reperitur in probabilitate, quæ proponitur ut regula; quia quoties adest probabilitas, habetur regula sufficiens ad conscientiam ritè formandam, quamvis probabilitas sæpè facilimè cesset, & consequenter regula illa materialiter sumpta desinat ac rumpatur, sicut una definit esse regula, quando minuitur, aut destruitur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

R. P. AN.